


Prohemium de proprietatibus rerum fratris
Bartholomei anglici de ordine fratrum mino-
rum incipit.



**Primo proprietates re-
rum sequantur substanti-**

as secundum distinctioem et ordinem substantiarum erit or-
do et distinctio proprietatum de quibus adiuto-
rio diuino est presens opusculum compilatum. vtile mi-
hi et forsitan alijs que naturas rerum et proprietates
per sanctorum librorum necnon et prophetarum dispersas non
cognouerunt ad intelligenda enigmata scriptu-
rarum que sub symbolis et figuris proprietatum
rerum naturalium et artificialium a spiritu sancto
sunt tradite et velate quemadmodum ostendit
beatus Dionysius in hierarchia angelica circa
principium dicens. Non est aliter nobis possi-
bile lucere diuini radii nisi varietate sacrorum
velaminum anagogice circumuelatus. quoniam im-
possibile est animo nostro ad immaterialem ce-
lestium hierarchiarum ascendere contemplationem
nisi ea que secundum ipsum est materiali manu ducte
vtatur et cetera quasi diceret. Non potest animus
noster ad inuisibilem contemplationem ascendere
nisi per visibilem considerationem dirigatur. Inuisibi-
lia enim dei per ea que facta sunt intellecta con-
spiciuntur vt dicit apostolus. Et ideo theolo-
gia. prout sacris et poeticis informationibus vsa
est. vt et rerum visibilium similitudinibus allegorice
locutiones et mystici intellectus transumptioes
formantur et sic carnalibus et visibilibus spiritualia
et inuisibilia coaptentur. **Huius rei gratia pre-**
sens officio opusculum ad edificationem domus
domini qui est deus gloriosus sublimis et be-
neditus in secula seculorum. In quo agit de
quibusdam proprietatibus rerum naturalium quarum
aliqua est incorporea aliqua corporea. Et primo de

proprietatibus substantie incorporee secundum sui dif-
ferentias quarum aliqua est corpori vmbilis vt ani-
ma rationalis sensibilis et vegetabilis. aliqua non
vmbilis corpori vt angelus. Et angelorum alij
sunt boni alij mali. In bonis vero angelis est or-
do secundum trinum multiplicationem trinitatis. vnde a
beato Dionysio distinguuntur tres hierarchie
celestes quarum quelibet trium ordinum continet
dispositiones. Nouedecim itaque sunt de qui-
bus in hoc opusculo adiuvante deo per ordines
est agendum. et hoc tam in communi quam in speci-
ali. **Primo** igitur agitur de deo et nominibus diui-
nis. que dicuntur de deo vel quo ad essentiam vel
personam siue quo ad effectum siue appropriatio-
nem. **Secundo** de proprietatibus angelorum tam
honorum quam malorum in generali et speciali.
Tercio de proprietatibus anime rationalis quo ad
nature sue simplicitatem. et quo ad virtutum suarum
diuersitates. et de eius unione et operatione in
corpore prout confert ei formam et perfectionem.
Quarto de proprietatibus substantie corporee
scilicet de elementis et elementaribus qualitatibus
ex quibus componitur omne corpus. et de quatuor
humoribus ex quibus componuntur corpora tantum
hominum quam brutorum. **Quinto** de hominis corpore
et singulis eius partibus de quibus sacra scriptu-
ra facit mentionem. **Sexto** de etatibus. **Septimo**
de infirmitatibus et venenis. **Octauo** de mun-
do et corporibus celestibus. **Nono** de tempore et par-
tibus temporis. **Decimo** de materia et forma et earum
proprietatibus et elementis. **Undecimo** de aere
et passionibus eius. **Duodecimo** de aere in ge-
nerali et in speciali. **Tercodecimo** de aquis et eius
differentiis et ornatu scilicet de piscibus. **Quar-**
todecimo de terra et eius partibus. **Quintodecimo**
de puincis. **Decimosexto** de lapidibus et me-
tallis. **Decimoseptimo** de herbis et plantis.
Decimooctauo de animalibus. **Decimonono** de
accidentibus scilicet de coloribus saporibus &c. In
istis. xix. libellis rerum naturalium proprietates
summatim et breuiter continentur. putad manus
meas spicere que effugerunt manus metentium per-
tingere potuerunt. In quibus de meo pauca vel
quasi nulla apposui. sed omnia que dicentur de li-
bris authenticis sanctorum et prophetarum excipiens sub
breui hoc compendio pariter compilari sicut per
singulos titulos poterit legentium industria
experiri.

